



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

Turner, Robert

Coloniae Agrippinae, 1625

1. Ciceronis Milonianam & Philippicas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)



ROBERTI
TURNERI
 IN CICERONIS MILONIA
 NAM ET PHILIP-
 picas.

Etsi consuetudo sit, Auditores, nec omnino
 contemnenda, quia est multorum; nec semper
 consectanda, quia parum utilis, ut qui aggre-
 diuntur ad aliquem authorem vel explican-
 dum dictione, vel commentatione illustrandum, cum
 prius laudibus, quasi coloribus, depingant, tamen
 authoris nostri laus est omnium sermone ita celebra-
 ta; ut qui in eius ornamentis multam orationem pro-
 fuerit, videatur vel detrudere iudicio auditorum, non
 parum; dum putat eos non cognoscere, quid sit, Cice-
 ronem esse, vel suo ingenio arrogare multum, dum
 putat se posse explicare, quid sit Ciceronem esse: quam
 nullam hodie vocem mitterem de Cicerone, nisi vio-
 latio consuetudinis usurpatae ab omnibus maiorem
 videretur habere labem: quid igitur? ne videar con-
 sectari trita, taceo plurima; ne videar contem-
 nere consuetudinem, dico id unum, Ciceronem esse, qui
 praeripuerit & Latinis, qui secuti sunt, imitandi
 spem; & Graecis, qui praebant, ostentandi gloriam
 Laudat antiquitas Isocratem, utpote in quo nite-
 bant

bant multæ orationis Veneres : laudet, modò non præferatur Ciceroni nostro, splendidus fuit ille, nervosus iste : amat studiosèque affectatur Libanium schola: est sanè cur affectetur hominem naturæ, artificque affluentem venustatibus, at quid ad Ciceronem nostrum? bellissimus fuit ille, diuinus hic, deniq; cum Cicerone si eos qui floruerunt eloquentiæ laude, conferas omnes, singulos, antiquos, recentes, omnes æquabit vnus, singulos superabit summus, antiquos, recens, recentes obscurabit, æternus, atque ita obscurabit, vt omnes huic sint futuri vmbra, hic omnibus fit futurus, imago viua, vera totius eloquentiæ, quid minus sum? Cicero est, quem explicamus, vno verbo dico nihil; vno verbo dico omnia: vt, quòd omnia, videatur seruata consuetudo iustè: quòd nihil, non videatur violatum vestrum iudicium: vnde in tanta totius eloquentiæ varietate cum dilectus necessariò habendus sit, ad hunc delectum iudicium attuli illud, vt ex summis multis duas videar seposuisse ad vestram vtilitatem summas, siue spectem artem, siue quæ hac arte continentur, exquisitam illam & lautam eruditionem: nam cum omnium iudicio Miloniana plurimum habeat artis, plurimum interioris doctrinæ Philippicæ, videor ne errasse? sed cur vno tempore duas? eecam vobis totius consilij totam rationem diuersi diuersas authorum interpretandorum rationes sequuntur, pugnantque suam quisque esse optimam.

Robertellius & Iulius Camillus toti sunt in affectibus & locis topicis, Pedianus & Manutius in Historijs toti sunt & antiquitatibus; Sturmus vult indicari phrasas tersasque loquendi rationes: in figuras & schemata, quibus tanquam stellulis illuminatur oratio, vult intendi digitorum Maturantius & Ramus & Talæus artes singulas dum contendunt singulis cancellis includendas esse, Dialectica seponunt Dialecticis, Rhetorica Rhetoribus: horum tamen elocutio-

nem

*Omnes
authores
quantum-
uis graues
vnus
Cicero
æquat.*

*Variorum
interpre-
tum ra-
tiones in
orationes
Cic.*

*Multum
temporis
ad vnam
Cic. Ora
tionem
explican-
dam ad-
hibendū.*

*Medic. &
Iurifcon-
sultorum
minutiae
fetent ad
eloquen-
tiam col-
late.*

*Quare
Cic. &
scripserit*

nem esse, præterea nihil: quare cum singulæ singu-
rum rationes vix ac ne vix quidem possint mihi præ-
bari, iniui rationem percommodam, illam quidem
vt in explicando Cicerone omnes sequar omnium
verum cum hæc diligentia id habeat incommodi, v-
multum temporis in vna oratione sit ponendum, et
iungo aliam non tam explicandam quam percurrer-
dam, idque tam citò, vt duas aut tres eodem spacio fa-
cile percurrero, quo explico vnam: nec hæc ratio à me
prius inuenta est, sed vsurpata à Mureto, qui id suis in-
culcat sedulò, potius vt fingant nouam Rhetoricam
ad orationum imitationem, quàm orationes ad anti-
quæ Rhetoricæ normam: non quòd contemnat præ-
cepta, sed nihil illa adferant momenti ad poliendam
linguam, nisi illa videas in Ciceronis scriptis. Quòd
minuta quædam sæpe incurrant, in quibus explican-
dis cogar esse minutus, quid moueamini? cum ex his
minutis illud eloquentiæ corpus, quod quærimus le-
iunctum, inuentum admiramur, constet & confleat
medicorum minutia: quales sunt? phi fœrent: iuris
consultorum minutia: quales? tituli, paragraphi, nu-
meri: non tamen illi fœtore, nec hi vilitate impediun-
tur, quo minus suas minutias ament, quærant, excu-
lant, quòd ex illis coagmententur duo pulcherrima
corpora, reipubl. hoc, hominis illud: at nostræ min-
utia: lautæ sanè sunt & exquisitæ, voces scilicet quæ no-
tæ sunt & signa intelligentiæ: quod facile videbitis,
id videatis, voces graues, sonoras, varijsq; modulario-
nibus aptè expressas (quæ consideratio musicorum est
delectare animantes, etiam expertes rationis, cum vo-
ces eloquentis solos deliniant homines, plus minusue
quò plus minusue habeant rationis. Sed harum mi-
nutiarum quale corpus? eloquentia: ô Dea,

Primo aggredimur ad explicationem Miloniana.
Hæc oratio fuit scripta à Cicerone vno modo, perorata
à altero: rationem, cur & scripserit & perorarit, putant
quidam

quidam esse, vt existimationem, quam orando perdidit, scribendo reficeret. Nam inter orandum languidiusculus factus dum cogitur medium dictionis suæ cursum interrompere, eam ruinam putabat facile re-
 fectum iri, si scriberet eandem causam hoc vberissimo filo, quod iam in hac oratione miramur. Sed suspicio est nulla vel autoritate, vel ratione nixa: causam veram puto esse communem illam & tritam omnium oratorum, qui causas solebant dicere ad rostra tenuius: ac postea domi diligenti meditatione subactas, vberius perpolire: hanc fuisse, patet ex multis Ciceronis locis, in oratione media pro Planco has ego scripsi ludis & feriis, ne omnino vnquam essem otiosus. 4. *Tusc. in fine*, Cato quod scripsit originum suarum. & 6. *epist. ad Quintum fratrem lib. 3.* orationes efflagitatas pro Planco & Scauro absolui, orationes quas postulas, mittam, quia quæ nos scribimus adolescentulorum studijs excitati: & hanc consuetudinem non solum propriam fuisse Ciceronis, sed antiquorum etiam antiquam: testes sunt locupletissimæ multæ Plinij epistolæ, ac in primis *vigesimali libri prima, tertij libri decima octaua. Blondus lib. 4. de Roman. triumphis, Budæus in Pand. 1.* Si Ciceronis diligentia in vlla vnquam oratione enituerit, in hac certè enituit maximè, quam omni eloquentiæ numero ita absoluit, vt eam vocent, primam Pedianus, pulcherrimam & nobilissimam Quintilianus: hinc ortus est error tribuentium Quintiliano, & Pediano illud quod iam est omnium sermone contritum: si Cicero sic perorasset, Milo non exulasset: non enim illorum hæc fuisse verba, sed sensum tantum & notionem facile credo. sed cuiuscumque demum sunt verba, vera sunt, *Milonia* apta sunt, arguta sunt. Sententia totius orationis vno *nae orationis vnus* continetur Enthymemate: Clodius fuit insidiator, *Enthy-* ergo fuit iure occisus; adde propositionem hanc: *Enthy-* omnes insidiatores iure occiduntur, & erit syllogismus *memm.* integer.

peroravit suas orationes.

integer: propositionis veritatem euincit inde, quae
 lege quadam incisa in animis omnium, liceat vim
 repellere; quibus verbis tam claram notionem puram
 esse subiectam, ut illa potius ornet, exquisitaque
 ctione vestiatur, quam probet, assumptionem controuer-
 sia implicitam conatur expedire argumentis petitis
 statu coniecturali: sed ne quis fortasse totam orationem
 nem reuocet ad huius assumptionis statum, animam
 uertat reliquum totius orationis statum esse iudicium
 lem seu qualitatis: quaeritur enim iure an iniuria
 eifus fuerat Milo: contestatio litis in hanc Rhetoricam
 formam commodè illigatur, occidisti Milo Clodium
 occidi, intentio illa est; sed iure, quia prior struxit
 fidias, depulsio hæc est, ex qua fluit id totum, quod
 disceptabitur controuersia de hominibus rebusque
 grauissimis, quæ cum sit grauissima, grande illud
 amplum postulabat dicendi genus, quod miscet
 men & interspergit nonnunquam Cicero concinnitate
 figurarum, quæ mediocri generis sunt, ad au-
 pium voluptatis: vnde quidem putarunt, sed falsè
 fuisse dicendi genus mistum ex hoc mediocri, & illud
 grandi: partes orationis nexæ sunt non inter se nar-
 ræ communi ordine; sed artis præpostero, ut exor-
 dium partitio, partitionem refutatio, refutationem
 narratio, narrationem confirmatio, confirmationem
 nem excipiat peroratio: rationem postea reddo
 hæc artificij totius sunt semina,
 historiae summa erit.

*Præposte-
 rus ora-
 tionis
 Milonia-
 ne ordo.*



ARGUMENTVM IN CIC. pro Milone.

Remp. Romanam variarum partium variis factionibus
 conflictatam fuisse, quotempore hæc inciēerat contro-
 uersa, inde patet, quod inciderat in consolatam Pom-
 peij, id est, in imperij Romani inclinationem: harum factionum
 scintilla, primum, fax deinde erat ambitio magnorum, qui
 volebant in summos magistratus vel fraude irrepere, vel vi
 irrumpere, quæ sola causa fuit inimicitiarum, quas capitales
 suscepit Clodius contra Milonem: nam dum Milo studet Ci-
 ceroni, ac Ciceronis fautoribus, à quibus Clodius dissidebat,
 Clodij quoque incurrit grauissimam offensionem: hæc causa
 prima fortasse fuit odij inter illos, sed in sola: aucta flamma
 est, quod Milo eodem anno prensabat consulatum, quo prætu-
 ram Clodius, nam cum Clodius putaret Milonem, si consula-
 tum iniret, quasi obicem obiectum iri suis & conatibus refu-
 tandis; & furoribus coercendis, voce, consilio, fraude Milo-
 nem impedit, ac compeditores eius adiuvat. Sed cum Milo
 vel meritis vel gratia consecutus fuerat, ut honor illi consu-
 latus haberetur, Clodius eousque exarsit, ut cogitaret de illo
 tollendo: quare cum intellexerat Milonem viam ingressurum
 ad Lauinium vesperique rediturum Romam penulatum in
 rheda cum vxore, ancillis, & pueris, viam obsedit Clodius
 expeditus in equo ad fugam, cinctus sicariorum manu ad cæ-
 dem: à Clodio prope fundum suum in via Appia fit impressio,
 sustinetur à Milone tam feliciter, ut ipse integer interfecerit
 Clodium. Milo à fautoribus Clodij accusatur de vi contra le-
 ges illatu, fatetur vim illatam, sed iure Pompeius qui id tem-
 poris gerebat consulatum, ex omnibus ordinibus legebat inte-
 gerrimos quosque, qui controuersiam multis difficultatibus
 ancipitem deciderent & explicarent. Cicero causam pro Milo-
 ne dicit, utpote qui fuit tam infestus Clodio quam Milonē
 amicus, collocantur in foro præsidia, ne in tanto negotio quid
 oriretur

Quæ ra-
 tione orta
 inter Clo-
 dium &
 Milonem
 fuit.

oriretur motuum popularium, res enim gerebatur non solum
potentium, sed populi etiam magnis odijs maxima contentione:
qui plurima velit, Plutarchi legat Ciceronem & Pompeium.

DE PHILIPPICIS.

*Cic. imi-
tatus De-
mosthe-
nem in
suis Phi-
lippicis.*

Demosthenem etsi quacunq; inspiciatis, dignum inspiciatis, tamen nulla parte maiorem quam quod Cicero eum dignum iudicatum quem imitando effingeret & exprimeret: nam cum Demosthenes quatuor orationes in Philippum Macedoniae regem scripsisset & Philippicas appellasset; Cicero ut indicaret se has in Antonium ad illarum imitationem & formam expressisse, etiam Philippicis dixit, quasi orationes in Antonium inumbratas ad illam eloquentiae formam, quae in Demosthenis Philippicis enitescit, haec huius inscriptionis causa fuit, patet ex Quintiliani decimo libro, & Plutarchi Cicerone: scripsit senex Cicero. . . *Cetera desunt.*

HISTORIAE NARRATIO.

*Quare
Cic. Phi-
lippicas
scripsit
in Anto-
nium.*

CAusa cur scriberet istas in Antonium, haec fuit: cum Cassius & Brutus percussores Caesaris, Antonij (locus hic erat designatus illorum exitus) propter veteranos Caesaris sedes putarent sibi foretatas & à periculo immunes, Cicero etiam sibi duxit dendum vrbem, quod faueret percussoribus, vel quod Antonij impotentem animum nec posset reprimere nec vellet ferre: egit ergo magna contentione & obsequiis, ut cum Dolabella legatus mitteretur in Syriam verum Panfa & Hircius designati ineuntis anni consulibus rogant, ut, dimissa legatione & perfectione illius ac reip. consilio ac virtute adesset; sequente anno Cic. opera Antonium facile coacturos in ordinem ha-

hac spe Cicero cogitat tantisper se addere in Athenas, quasi dulce literarum otium, dum Pansa & Hircius renunciatu fuerunt consules: verum in medio itinere dum audit Antonium partes illas superbiæ deposuisse, clementiæ sumpsisse, redit Romam: die qui Cicero nis reditum proximè excipiebat, cogit senatum Antonius. Cicero veritus insidias simul at se fessum de via non posse interesse, quæ res ita commouit Antonium, ut summiserit milites, vel Ciceronem in Senatum perducerent, vel eius ædibus flammam subijcerent: sed placatus tandem ab ijs, qui paci studebant, abstinuit: huius iniuria tam altè infederat in Ciceronis animo, ut cum primùm Octavius Iulij Cæsaris hæres Romam redierat, hunc autoritate, opibus, consilio munierit aduersus Antonium, nec prius desierit, quam Antonium metu coactum cedere vrbe, curarit hostem patriæ à senatu iudicandum hinc occasionem sumpsit has orationes dicendi in Antonium, partim in senatu, partim ad populum.

*Antonij
animus
in Cic.
hostilis*

PRIMAE PHILIPPICAE

Argumentum.

Primò ostendit iustam fuisse, & ambitionis suæ & reuersionis rationem, scilicet ut Antonium vel sanaret, vel euèrteret. Perstringit deinde quorundam inconstantiam in rep. gerenda, Antonij quædam facta, ac quædam interitum de Cæsaris morte, reliquisque actis, tam cautè & prudenter, ut Antonium conficiat, Cæsarem non violet. Postremò oratione ex intimo artificio petita, hortatur utrunque Consulem, Debellam præsentem, Antonium absentem, ut redeant ad mentem, ac Remp. suscipiant iam tandem asserendam & antiquum libertatis ius vindicandam. Ex quibus facile colligitur versari orationem in genere partim deliberatiuo, dum Antonium perstringit; partim iudiciali, dum obiecta diluit. in fine est acré ac vehemens dicendi genus, reliqua oratione moderatum ac temperate susum. . . . Cætera desunt.